

**SUMMER SCHOOL 2021**  
**FORMAZIONE, TRASMISSIONE E COMUNICAZIONE DEL SAPERE NELLE CULTURE**  
**ANTICHE**

Nuove prospettive sull'insegnamento delle materie classiche nella scuola

**LABORATORIO**  
*Nel segno di Chirone*  
*Qualche proposta didattica sulla poesia didascalica*

Alberto Pavan  
albertuspat@libero.it



## I. Riconoscimento del genere nella critica antica

### I.1 Cic., *de oratore*, I 69-70

[69] Qua re hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus; cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo ad eum erunt delata et ei tradita. [XVI] Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae ornatissimis atque optimis versibus Aratum de caelo stellisque dixisse; si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum Nicandrum Colophonium poetica quadam facultate, non rustica, scripsisse praecclare, quid est cur non orator de rebus eis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? [70] Est enim finitimus oratori poeta, numeris astrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par; in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari qua velit.

### I.2 Quint., X 45-46

XLV. Paucos (sunt enim eminentissimi) excerpere in animo est: facile est autem studiosis qui sint his simillimi iudicare, ne quisquam queratur omissos forte aliquos <quos> ipse valde probet; fateor enim pluris legendos esse quam qui nominabuntur. **Sed nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue convenire intendentibus ut oratores fiant existimem, persequor.** XLVI. Igitur, ut Aratus ab Iove incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur.

## I. 3 Sidon., *epist.*, 4,1,2

quis enim iuvenum nesciat seniorumque te mihi magistrum fuisse proprium, cum videremur habere communem, **et si quid heroicus arduum**, comicus lepidum, lyricus cantilenosum, orator declamatorium, historicus verum, satiricus figuratum, grammaticus regulare, panegyrista plausibile, sophista serium, epigrammatista lascivum, commentator lucidum, iurisconsultus obscurum multifariam condiderunt, id te omnifariam singulis, nisi cui ingenium sibique quis defuit, tradidisse?

## II. Caratteristiche del genere

### II.1 Arst., *Poetica*, 1447b 13 ss.

πλὴν οἱ ἄνθρωποι γε συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν ἐλεγειοποιὸν τοὺς δὲ ἐποποιὸν ὀνομάζουσιν, οὐχ ως κατὰ τὴν μίμησιν ποιητὰς ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες· καὶ γὰρ ἂν ιατρικὸν ἡ φυσικόν τι διὰ τῶν μέτρων ἐκφέρωσιν, οὕτω καλεῖν εἰώθασιν· οὐδὲν δὲ κοινόν ἔστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον, διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἡ ποιητήν.

### II.2 Diomede, *Ars grammatica*

Poematos genera sunt tria. Aut enim activum est vel **imitativum**, quod Graeci **dramaticon** vel **mimeticon**, aut **enarrativum** vel enuntiativum quod Graeci **exegeticōn** vel apangelticon dicunt, aut commune vel mixtum, quod Graeci κοινόν vel μικτόν appellant. **Dramaticon est vel activum in quo personae agunt solae sine ullius poetae interlocutione**, ut se habent tragicae et comicae fabulae; quo genere scripta est prima bucolicon et ea cuius initium est «quo te, Moeri, pedes?». **Exegeticōn est vel enarrativum in quo poeta ipse loquitur sine ullius personae interlocutione, ut se habent tres georgici et prima pars quarti, item Lucreti carmina et cetera his similia**. Κοινόν est vel commune in quo poeta ipse loquitur et personae loquentes introducuntur, ut est scripta *Ilias* et *Odyssia* tota Homeri et *Aeneis* Vergilii et cetera his similia.

### II.3 Servio, *praefatio ad Georgica*, p. 129, 9-12 Thilo

Hi libri **didascalici** sunt, **unde necesse est, ut ad aliquem scribantur; nam praeceptum et doctoris et discipuli personam requirit**. Unde ad Maecenatem scribit [sc. Vergilius], sicut Hesiodus ad Persen, Lucretius ad Memmum.